

DISPUTATIO MEDICA  
INAUGURALIS  
DE

ANIMI, ejusque AFFECTUUM,  
quoad Valetudinem, Impressionibus in corpus,  
QUAM  
FAVENTE DEO TER OPT. MAX.

*Ex Auctoritate Magnifici D. Rectoris*

D. GODEFRIDI BIDLOO, Med. Doct. Anat. &  
Colleg. Pract. in Acad. Lugd. Bat. Profess. Ordin.  
ut & Colleg. Chir. ejusd. civit. Præsidis,

NEC NON

*Amplissimi Senatûs Acadêmici Consensu, & Alma  
Facultatis MEDICÆ Decreto,*

PRO GRADU DOCTORATUS,  
Summisque in Medicina Honoribus, & Privilegiis  
ritè ac legitimè consequendis,

*Publico examini subjicit*

HENRICUS LOHALMUS MEIER, Lunæburg.  
*Ad diem 2. Martii, horâ locoque solitis.*



LUGDUNI BATAVORUM,  
Apud ABRAHAMUM ELZEVIER,  
Academiæ Typographum. MDCXCVI.

Pathol. gen.

146, 4.

*Sp. pathol. 329*



INCLYTÆ ET PATRIÆ  
REIPUBLICÆ  
LUNÆBUSGENSIS  
GENEROSIS, MAGNIFICIS, NOBILISSIMIS  
CONSULTISSIMIS & PRUDENTISSIMIS  
MODERATORIBUS:  
DOMINIS  
CONSULIBUS,  
SYNDICIS,  
TOTIQUE  
ORDINI SENATORIO,  
PATRONIS, FAUTORIBUS,  
& respective PARENTI,  
Omni cultu perpetuo prosequendis,

Hanc Dissertationem Inauguralem,  
ut & seipsum

ea, qua par est, animi submissione  
ac observantia

D. D. D.

HENRICUS LOHALMUS MEIER

*Auctor*



J. J.!

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

ANIMI, ejusque AFFECTUUM,  
quoad Valetudinem, Impressionibus in corpus.

§. I.



recte Tironi suo Cicero scribit famil. l. 16. epist. 14. *Opus est te anima valere, ut corpore possis.* Noverat enim optime Vir prudentissimus, quanta vel commoda vel damna corpori ab animo bene vel secus constituto inferantur. Navis, gubernatore minus recte sese habente, non potest non, quin inter saevos maris fluctus multis periculis sit exposita. Non aliter cum corpore nostro comparatum est; ejus enim gubernator animus ubi ægrotat, variisque imaginatio- num & affectuum procellis exagitatur, statim ac ejus regimini

A 2

sub-



subjectum corpus sanitatis inde patitur detrimenta. Quid multis opus est? nemo unquam Medicorum fuit, qui animi affectuum moderamen tum ad præsentem sanitatem conservandam, tum ad amissam restituendam, omnibus modis conferre non agnoverit. Operam hic luderemus, si ad asserti illius probationem infinita hunc in finem data monita vellemus adducere; Rem potius ipsam aggrediamur, & absque ulterioribus ambagibus, ad specialiora descendamus, quod ut ordine fiat convenienti, tractabimus primo ægitudines, quas vel generari, vel jam generatas tolli, ab animo ita vel aliter affecto experimur. Deinde investigabimus causas, cur positis hisce aut illis animi passionibus, tales in corpore producantur effectus. Denique totius tractationis usum paucis, quantum limites dissertationis concedunt, prosequemur.

§. 2.

Placet initium capere ab Attentione. Quando animus sollicite rei alicui est intentus, noctes plerumque insomnes transigimus. Capitis dolorem sentiunt, qui intricatarum rerum meditationem nimis diu continuant. Ubi in abstrusiora studia post assumptum cibum serio incumbimus, ventriculus cibum non rite digerit, appetitusque imminuitur in subsequenter cœnam. Contra patientes doleres, si per confabulationes aut nova objecta cogitationes eorum à sensu præsentis doloris abstrahuntur, levamen percipiunt. Eadem est ratio, quod dolor de novo superveniens priorem confopiat, vid. *Capivaccium Medic. pract. l. 1. c. 7.* Quid quod per intensiorem aut remissionem animi morbi etiam inveterati recedant. Fabius Maximus referente *Plinio Hist. Nat. lib. 7. cap. 50.* diu multumque febre quartana languebat, nec artis remediis successum optatum consequeretur, quousque conferto cum Allobrogibus prælio, pugnandi ardore, novo velut incendio, febrile vetus incendium discussit. Contra *Porphyrius in vita Plotini* meminit Rogatiani Romani Senatoris, podagra acriter vexati, usque dum suafu Plotini Philosophi extremam vitæ negligentiam arripiens, expeditius artibus usus fuerit, quam qui iis quotidie artificia tractant.

§. 3.

Verissimum est vulgatum illud: *Imaginatio seior postilentia.* Equidem nonnulli, viso saltem medicamento cathartico, purgantur non minus, ac si illud ore assumisissent. Nobilissimus

Boyle



Boyle de usu exper. philos. part. 2. sect. 1. c. 13. §. 15. de se ipso scribit: Sola de potu impuro cogitatio in me horrorem excitat, cum aliquot corporis mei partium commotione sensibili conjunctam; speciatim stomachum motu quodam constrictivo movet. Despectus è loco sublimiori oculis & toti cerebro inducit vertiginem. Quem latent absurdissimæ imaginationes melancholicorum? Auctore Galeno l. 3. de locis affect. c. 7. quidam hoc morbo afflictus, se testam factum somniabat, atque idcirco obviantibus cedebat, ne collideretur; Alius gallos cantare audiens, ut hi alarum, sic ille brachiorum plausu latera quatiens animantium illorum sonum imitatus est. Maxime omnium autem haut perfunctoriam considerationem meretur mira vis imaginationis gravidarum, de qua sane admiranda extant exempla: v. g. si prægnans citata desiderio, cerasum aspexerit, frontemque sibi attigerit, foetus confestim cerasum suscipit, non quidem nudam cerasi maculam, sed cerasum, quod viridescit, albescit, flavescit, & rutilo colore rubescit, quotannis una cum fructibus arboreis. Vid. Joh. Bapt. Helmontium tract. ignota actio regiminis §. 45. Confer Wierum de prestig. Damon. l. 4. c. 18. Joh. à Meckern. observ. Chirurg. addit. c. 1. & ante omnes Verulamium in sylva sylvarum cent. 10.

§. 4.

Desiderium, Appetitum, & Aversationem inquiringibus sese offerunt homines, quibus erga hanc vel illam rem singularis aversatio quasi innata est, qui si tale quid prope ipsos moreretur, ipsis etiam insciis, in gravissima symptomata abripiuntur. Boyle tract. citato part. 2. sect. 1. c. 16. §. 1. multi, inquit, visa aut audita catta valde perturbantur, quin & tremunt, atque deliquia subeunt. Affectui tali obnoxius fuit Comes in Barrymore, vir alias fortissimus, qui tanaceti aspectum sufferre non potuit: Ego citra commotionem sanguinis insignem aspicere nequeo araneam. Effectus non minus insignes etiam ab appetitu & desiderio videmus productos. Ægles. Samnius, athleta mutus, cum ei victoriæ, quam adeptus erat, præmium eriperetur, desiderio injuriam sibi factam vindicandi, vocalis evasit, teste Valer. Maximo. l. 1. c. 8. Apud Herodotum simile ferme exemplum relatum legimus de filio Cræsi, nativo linguæ & vocis impedimento affecto. Si gravidis malaciam pa-

almsi

A 3

tien-



tientibus denegetur res appetita, infiniti tristes casus doctere, abortum inde fuisse generatum. Contra videre est in *Tulpii observ. l. 2. c. 24.* mulierem prægnantem haleces falitas ante partum comedisse mille ac quadringentas, attamen sine ulla ventriculi offensa, ullove sanitatis dispendio, nisi quod infans, cum necdum posset verbis, expetiverit tamen ejulatu haleces. *Langius in epistolis Medicinalibus epist. 12. tom. 2.* mulierem introducit, cujus venter in hydrope in immensum excrevit, at, cum aquam de fonte scaturiente magnopere sitiret, progressa est ad fontem, & appetitui satisfaciens, intra biduum per fluxum ventris ab omni hydrope convaluit.

§. 5.

Metus & Anxietas pariunt difficilem respirationem, & frequentia suspiria, cardialgiam, s. angustiam præcordiorum, palpitationem cordis, urinæ incontinentiam, diarrhæam. vid. *Fernel. pathol. l. 1. c. 18.* tremorem omnium corporis membrorum. In peste præprimis valde damnatur metus. *Franc. Foël,* plures pestes expertus, ubi agit de pestis curatione, ita ait: *Omniùm pestilentissimùm affectus sunt tempore contagionis timor, metus mortis atque consternatio: Hi enim affectus insidias struunt vitæ; plures enim horum affectuum faculis insiciuntur, & intereunt, quam ipsa peste, & experientia testatur, quod, qui hujusmodi affectibus non sunt obnoxii, quales sunt mente capti, aut servi fatui, eos peste nunquam aut rarissime insici & interire &c.* Varioli & morbili similiter ex his animi commotionibus contagiosi fiunt, de quo elegans exemplum apud *Boyle, de usu exper. philos. part. 2. exerc. 5. c. 14. §. 1.*

§. 6.

Tristitia & Mœror, præsertim ab amore denegato, creat tabem, & marasmm. Confirmat id in sacris literis filius Davidis Amnon. 2. *Sam. c. 3.* Catalepticum ex mœstitia ob inopinatam matrimonii repulsam observavit *Tulpius l. 1. c. 22.* Apud eundem. *l. 4. c. 54.* reperimus Æthiopem, præ nimio mœrore ex male sanata fibulæ fractura in plenum delirium præcipitatum. Ipsa mors tristitiam immodicam non raro insecuta est, cujus exempla memorarunt *Valerius Maximus lib. 9. cap. 12.* *Plinius Histor. nat. l. 7. c. 53.* *Guil. Fabric. Hildanus in consil. de conserv. valet.* Crederes equidem a gaudio meliora mortalibus speranda

randanda



cepto ante ipsum astitit, in cuius brachio carbo ardens delapsus est, quo etsi ita ureretur, ut adusti corporis eius odor ad circumstantium nares perveniret, tamen & dolorem silentio pressit, & brachium immobile tenuit, ne sacrificium Alexandri, aut excusso thuribulo impediret, aut edito gemitu aures regias aspergeret, rex quoque patientia pueri delectatus, certius perseverantiae experimentum sumere voluit, & solito diutius sacrificavit. Confer Hondorffii theatr. histor. in exemplis octavi præcepti, sub titulo, de iis, qui adversus tormenta fuere invicti. Etiam ægroti reperti sunt, qui constantia morborum cruciatus eludere. Quem fugit, rem mortis periculi plenam esse excisionem calculi, præsertim in majoribus natu; nihilominus elegans Author *Tulpinus observ. l. 4. c. 31.* annotavit confidentem virum; qui arrepto cultro sibi ipsi præscidit calculum ovo gallinaceo majorem, & egregie convaluit. Fortis virago, cuius idem Author *l. 3. c. 7.* patientiam magnopere extollit, integrum triennium animose tulit in vesica urinaria calculum, ponderantem tres uncias cum duabus drachmis, & quod majus, constantia sua tandem tantum effecit, ut successu temporis felicissime lapideum hunc foetum enixa fuerit.

§. 10.

Restat, ut paucis adhuc dicamus de consuetudine; eam autem ad animum recte referimus; cum corpora tantum animata rebus assuescant. Assueti absque ullo vertiginis aut lapsus metu altissima loca ascendunt. Apiariis, apum aculeos sæpius perpessus, nullus ab ullius animalis punctura suboritur tumor. *Qui venesectionem jam est expertus, alacrius ac levius eam perfert, quam inexper- tus,* juxta. *Fernelium Method. med. l. 2. c. 11.* *Qui purgari soliti sunt, illos ne metuas, etiam vehementi purgatione exhaustire.* Secundum *Forestum l. 7. in Schol. observ. 2.* *Joh. Heurnius oculatus testis narrat method. ad praxin. lib. 3. cap. 20. Vidimus Neapoli servos, qui magnam vim meconii vorabant, alios qui copiosissime papavere (opio) vescerantur.* *Galenus l. 3. c. 18. de simplic. med. facult.* mentionem facit ani Atheniensis, quæ a minima cicuta portione auspicata, nullo detrimento ad magnam illius veneni progressa est copiam. *Theophrastus histor. plant. l. 9. c. 18.* quorundam, qui duabus & viginti potionibus ex helleboro nihil vel purgati vel offensi fuere, ideo quod toties eo usi fuerint.

B

Hinc



Hinc recte venerandus Senex. l. 2. aphor. 50. Ταί εἰς πολλὰ χρόνια  
συνήθειαι, καὶ ἡ χεῖρα, τῶν αἰσθηθῶν ἡσασον ἐνοχλεῖν εἰωθε. Non  
hic loci prætermittenda sunt, quæ scripsit magnus Verulamius  
de consuetudine in sermonibus fidelibus. c. 37. it. in Sylv. Sylvar.  
cent. 1. num. 61. 62.

§. 11.

Haftenus varia & fide dignissima ab animo ejusque pathemati-  
bus tum productorum, tum curatorum morborum exempla.  
Majoris momenti res est, nosse eorum genuinas causas, quas ta-  
men indagare pro viribus nunc annitemur. In genere autem præ-  
monendum: Omnia hæc passionum animi producta dependere a  
solo spirituum animalium in corpore nostro vario motu. Vid.  
*Cartesium de animi pass. & Franc. Sylvium disp. med. 5. de spi-  
rituum animalium in cerebro &c. §. 39.* Deinde sciendum, quid-  
nam nomine spirituum animalium accipiatur. *Cartesius de animi  
passionibus part. 1. artic. 7.* eos definit per certum quendam æ-  
rem & ventum subtilissimum, in nervis & cerebro contentum.  
Porro de œconomia eorum tenendum, esse eos animi imperio  
subjectos, vicissim autem dominium obtinere in corpus, ejus-  
que tum partes solidas, tum humores. vid. *Fernelii Physiol. l. 4.  
c. 10. & Franc. Sylvii prax. med. l. 2. c. 5. §. 25.* idque ita, ut  
in illas influant, illas alterent, moveant atque informant. Al-  
terant, dum humores reddunt nunc austeriores, nunc acidiores,  
acriores, viscosiores, tenaciores, fluidiores &c. Movent & in-  
formant, dum solidæ partes ab eorum vario impulsu nunc inten-  
duntur, nunc flaccescunt, extenduntur, contrahuntur, obstruun-  
tur &c. vid. iterum *Sylvii Method. med. l. 1. c. 12. §. 19,  
20, 26.*

§. 12.

Hæc in genere dicta, ad singula quæque in specie nunc appli-  
canda erunt. Attentio nimia parit vigilias, quod animo occupato  
spiritus in perpetuo versentur motu: Capitis dolorem; spiritus  
enim nimio motu defatigati tandem exacerbantur, & humores  
mordentem acridinem concipiunt. Duo negotia eodem temporis  
momento simul suscipiens, utrumque non æque recte perficit:  
eandem ob causam post prandium vel cenam studiis operam na-  
vantes cibum male concoquunt, spiritus enim ad studia abstracti  
perfunctorie officium suum in stomacho obeunt. Similiter per  
nova



nova objecta dolores consopiantur; avocantur enim eo spiritus a motu illo, per quem humores acriores reddebantur. Incuria fanat morbos, quod spiritus per illam nanciscantur quietem, qua recreantur, simulque humores peccantes corriguntur.

§. 13.

Per imaginationem spiritus trahuntur in consensum rei imaginatae, & una cum illis partes solidæ & humores: Ex quâ unicâ positione facile deducitur, quomodo ex variis imaginationis operationibus suboriatur vertigo, solutio alvi, vomitus, absurda melancholicorum conamina, imo & characteres, foetui a matre gravida impressi: Quandoquidem, sicut cera per digitos efformatur in multimodas figuras, pro conceptibus formantis, ita & corpus mediantibus spiritibus imaginationis typum exprimentibus.

§. 14.

Impetrata re desiderata spiritus delectantur, acquiescunt & reficiuntur. Quid ergo mirum, quod, rebus ita constitutis, cesset prior eorum exacerbatio, simulque humorum per consensum facta corruptio? quid etiam mirum, quod assumpta noxia nullum inferant nocumentum? cum ab ista spirituum tranquillitate non secus, uti a fortiori antidoto, veneni exitiosa qualitas superetur. **E**contra, cum res appetita denegatur, morbus vel cietur, vel jam præsens adaugetur, ex indignatione spirituum propter appetitum frustratum, & ab hinc facta humorum acredine, & austeritate.

§. 15.

Motus spirituum in timore, metu, anxietate, terrore, non nisi gradibus differunt: Per hos omnes namque affectus spiritus magis vel minus in fugam conjiciuntur, ita ut derelictis exterioribus membris sese in interiora cordis recipiant, ubi tum nimia copia coarctantur & comprimuntur. Facile ergo sic exsurgit cardialgia, cordis palpitatio, difficilis respiratio, & suspiria crebra. Facile etiam nunc intelligas, cur pestis, pestilentialiumque morborum contagium ab iis ingravescat; quia scilicet cordis angustia anhelitusque difficultas, jam ante in his affectibus est molesta. Et, qui potest non adesse urinæ incontinentia, alvi que diarrhæa, cum utraque tam vesica, quam intestina, per jam dictam spirituum fugam destituantur robore, quo contenta sua complectantur? Videmus enim manu languente contenta illius sponte nobis excidere. In articulorum tremore



spiritus quidem aufugiunt & deferunt artus, at mox revertuntur, iterumque aufugiunt, & revertuntur, ex quo inæquali motu sæpius repetito tremor. Icterus supervenit de improviseo territis, quia spiritus fecum alvinarum separationi destinati recessere, unde excrementitiæ bilis partes a chylo non feceruntur, sed una cum illo permixtæ in sanguinem, & abhinc in omnes corporis partes deferuntur, quas flavedine sua inficiunt. Canitie causa est, quod crines, per dictam spirituum subtractionem in tantum vita priventur, ita, ut revertentibus spiritibus rarior & parcior in ipsos sit reditus, quamobrem albi, i. e. semi mortui apparent. In calvitie in totum vita privantur, quare emortui excidunt. Podagrici sanati sunt per terrorem, dum itidem per spirituum ad tempus subtractionem, particulæ humorum peccantes enecantur, unde planè emortuæ in spirituum reditu vitam non recipiunt, sed tractu temporis attenuantur & fecernuntur.

§. 16.

Per mœrorem & tristitiam spiritus disperduntur, torpent, & languescunt, humores acescunt, & caro consumitur. Hinc ex mœrore tabes, hinc somnolentia & sitis; languentes enim spiritus mediante somno & potu refici desiderant. Imo si mœror summum gradum attingat, quid reliquum, quam ut spiritus ita deficient, quo mortem habeant pedissequam? Quod autem ex mœrore ob denegatum amorem apud *Tulpium* factus sit quidam catalepticus, evenit, quod impense amantes omnes cogitationes tantum in unum amatæ objectum dirigant, quare & spiritus nervos semper in uno eodemque situ continent. Gaudium nimis effusum spiritus & calorem tam vehementer e corde dissipat, & in summa corporis effundit, ut cor calore nativo destitutum vel syncope afficiatur, vel totus homo subitanea morte corruat.

§. 17.

Per iram & indignationem spiritus cum exacerbatione intenduntur, quasi induentes robur, quo malo illato resistent. Hinc ab ira apoplexia, in qua nervi omnes violenter intenti apparent, non secus, ut chorda in arcu expanso; sicut autem chorda nimis intenta fit immobilis, sic etiam in apoplexia omnia immota jacent. Idem fere fit in suffocatione uteri, quæ ab apoplexia in paucis admodum est diversa. At alvi constipatio  
vol-



volvulus &c. sunt nihil aliud, quam speciales privationes motus peristaltici, propter vasorum intensionem, ita, ut excrementa non propellantur. Quandoquidem vero cum ista spirituum intensione interdum conjuncta sit eorundem exacerbatio, hinc humorum acredo, & dolor capitis in apoplexia, & intestinorum in volvulo. Ex ista humorum acredine etiam alba mulierum menstrua proficiscuntur. Quod autem paralyfis partis alicujus sequatur iram, fit ex nervorum per antecedentem intensionem facta nimia dilatatione, & deinceps sequente flacciditate: Omnis enim membrana, aut nervus, supra modum distentus, extensione remissa postmodum plane flaccescit. Hinc etiam visus, vocis, auditus amissio, quæ nihil aliud, quam propriorum organorum paralyfes speciales.

§. 18.

Per Patientiam spiritus exagitati exacerbatique ad quietem reducuntur, unde dolores, & simul cum illis symptomata graviora remittunt. Ex impatientia exurgit contrarium: hinc utramque sequuntur effectus paragr. 9. consignati.

§. 19.

A consuetis spiritus non ulterius moventur, i. e. non exagitantur, non exacerbantur, non intenduntur &c. humores quoque consuetas retinent qualitates, nec rebus, alias insignes turbas excitantibus, offenduntur. Simile habemus in *fabulis Æsopi*, ubi vulpes, postquam ter viderat leonem, adeo postmodum ex illius conspectu non est commota, ut etiam sermones cum terribili animali miscere non fuerit verita.

§. 20.

Supereft, ut perveniamus ad animi commotionum in facienda medicina usum. Is autem duplex est, unus ad præsentis sanitatis conservationem, alter ad amissæ restitutionem. Cui præsentem sanitatem conservare cordi est, procul à se removeat iram, timorem, metum, mœrorem, omnesque similes noxios affectus. Vitam agat a curis, & assiduitate in studiis abstrusioribus liberam & vacuum. Lætetur semper, animoque sit tranquillo & sereno. Insuper naturam, quamdiu in tali statu est, quo vires sunt validæ, assuefaciat, ut omnia, quæ in hac vita communiter nobis obtingere possunt, contraria perferre discat, eaque non tantum mediocria, sed etiam aliquantum excessiva, ut sitim &



a cibis abſtinentiam, contra etiam aliqualem cibi potuſque tum varietatem, tum ſuperfluitatem, frigoris æſtuſque injuriam, laborioſarum expeditionum moleſtiam, & id genus alia. *Vid. celeberrimum ſcriptum medicina mentis & corporis, medic. corp, part. 1. reg. 1.*

§. 21.

Ubi morbus corpus jam degravat, conſueta alias negotia plane intermittantur. *Vid. cit. medicinam mentis & corporis. medic. corp. part. 3. reg. 8.* Morbum ſuum æger non reponat inter incurabiles, aut a quo evadere vix poſſit. Confidat Medico & peritiæ ipſius. Medicamenta ea ſpe aſſumat acſi indubie inde levamen ſit impetraturus. *Vid. Alex. Bened. Veronenſem in egregio libello aphoriſmorum. c. 1.* Si forte flagranti deſiderio in hanc vel illam rem, licet primo intuitu noxiam, feratur ægrotantis appetitus, iſti appetitui non raro indulgendum eſt. Pariter ſitientibus in febribus nullo modo denegandus eſt potus, de quo legatur Doctiſſimus Dn. *Pechlinus obſervat. medico Phyiſic. l. 3. obſerv. 39.* Ante omnia expedit, ſeſe communire patientia: Feſtive de illa Epicurus apud Gaſſendum *ſyntag. Philoſ. part. 3. c. 22.* Nobis familiare propemodum eſt, eos adeſſe morbos veſica ac viſcerum, ut nihil ad eorum magnitudinem accedere poſſit, & compensatur tamen cum ipſis omnibus animi lætitia, quam capimus memoria rationum inventorumque noſtrorum, eaque conſtantia, qua beatos habere dies illos non deſinimus, quibus huiusmodi morbis atque doloribus torquemur. Abſint timor, metus, anxietas, & ejus generis alia: Quæ tamen & ipſa, ut adverſus morbos quandoque in auxilium vocentur, doctiſſimi probant Medici. Sic vidimus §. 7. terrorem commendari adverſus tuſſim infantum convulſivam a *Williſio*, adverſus ſingultum a *Waldſchmidio*. Iram commendat in memoria læſa *Capivaccius Medic. pract. l. 1. c. 13.* Multa alia ejus commatis paſſim legimus apud Auctores, quæ, ſi omnia huc referre vellemus, limites diſſertationis tranſgredieremur. Itaque hic pedem figimus, &, cum plurima, imo maxime memorabilia, circa illuſtre hoc argumentum adhuc dicenda ſuperſint, ulteriorem ejus elaborationem annis & experientiæ, artis noſtræ parentibus fœcundiſſimis, modeſtius reſervamus.

C O-



# COROLLARIA.

I.

*Icterus non ab obstructione ductus biliaris intestinalis.*

II.

*Venaesectio non ex omni remediorum numero est proscribenda.*

III.

*Acida in multis morbis egregia sunt medicamenta.*

IV.

*Purgantia in quibusdam capitis affectibus specifica pollent virtute.*

V.

*Simplicia medicamenta compositis sunt anteferenda.*

**F I N I S.**



# COROLLARIA

I  
Iberis non ad obstructione datus  
latit interstinalis.

II

Venefectio non ex omni remediorum  
moro est prohibenda.

III

Acida in multis morbis egregia sunt  
medicamenta.

IV

Purgantia in quibusdam casibus esse  
bibis specifica polleunt virtute.

V

Simplex medicamenta compositis sunt  
anteferenda.

F I N I S.